



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660**

S. Ivtta Vidva. 5. Maij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42032**

quid igitur es, quidquid potes, debes creanti, redimēti, vocanti. S. Bern. super illud, Regnum Dei, &c.

S. I V T T A V I D V A. f. May.

**Q**Vi IYTTAM légis, legentem lege. Nam & illa à teneris vitas legere Divorum gaudebat; sed &, quod pauci facimus, facere gaudebat, quæ legerat. Nubilem jam & fugam è mundo meditantem, nuptiæ illustres implicarunt, neque tamen manus virtuti ligarunt. Mundum omnem muliebrem, quem à parentibus & ipsis illustribus nobilissimum acceperat, ad vestienda ornandaque menducabula omné contulit, rectè non pulchriùs micare gemmas & uniones rata, quām in pauperis Christi centonibus. Iamque eò devenerat, ut de cœtâ ingenti dote, necessaria ad vitam mendicare ipsa non sine risu improborum cogeretur. Sed laudavit Christus hanc prodigalitatem conspicuus, & iterum ditavit illis verbis: *Omnia mea tua sunt, & tua mea.* Enimvero tam opulentam se ubi circumspexit IVTTA, effusior etiam dehinc vixit. Neque tamen redigi ad incitas potuit liberalis dextera. Iterum Christus illi visus potestatem fecit ex divite cordis sui ærario quas liberet opes depromendi. Illa Sapientiæ sanctioris thesauros deprompsit, ut jam sine alio Doctore arcana fidei calleret, & in ipsa adita sanctissimæ Triadis mulier se penetraret. Nimirum neque jam supremū ægram à Christo ad notas delicias invitatam miror, neque dubito animum membris solutum rectâ in cælos abiisse, cùm versus hos in aërem abiisse inter preces, etiam cum corporis pondere legam. Ex Ezov. tom. 13. Ann. Eccl.

*Suscipiat fidelis anima Autoris sui atque Rectoris immar-*

230 VITA SANCTORVM 6. Maij.  
immarcessiblē charitatem totamq; se ejus sub-  
ficiat voluntati, in cuius operibus atque judiciis  
nihil vacat à veritate Iustitia, nihil à meseratime  
Clementia. S. Leo serm. de Iejun.

S. IOANNES DAMASCENVS. 6. Maij.

**E**Tiam hic IOANNES, cui à patriā DAMASCENO  
nomen fecit, inter VIRGINIS cultores in pau-  
cis est numerandus. Cūm enim Sarracenorum Du-  
ci à consiliis esset, calamum interim in Leonem  
sacrārum imaginum hostem strinxit, pulchrum  
existimans, pro MATRIS capite manum suam ob-  
jecere. Nam cūm literas commentus impius esset  
Imperator velut ab ipso IOANNES scriptas, quibus  
Damascum prodere cogita ret, easque Sarraceno  
transmisset, dextram hic scilicet detruncavit in-  
nocenti. Sed precanti & ante icona DEIPARAE fa-  
miliariūs querenti, quod ad pugnandum pro ipsius  
& Filii honore inermis jam esset, ecce tibi auxilia-  
tricem manum VIRGO porrigena, dextram inte-  
gerimam restituit, reliquā solum in miraculi vesti-  
gium linea rubente, quam rectius armillam nos  
dicemus. Hinc IOANNES sapientiae sanctioris ru-  
dimenta inter Anachoretas discere aggressus, ma-  
gnos brevi progressus fecit. Fiscellas enim in patria  
jussus vendere, risui scilicet fuit, qui nuper om-  
nium admirationi erat. Iam lordes omnes in ce-  
nobio illā, illā non tam suā quām VIRGINIS manu  
Iūsus purgare, non dubitavit imperio obsequi.  
Quare manum tam nobili victoriā splendidam  
calamo denud ipsa celi Imperatrix MARIA arma-  
vit, scripsitque illa quæ hodieque orbis omnis  
miratur. Sed nimurum quæ reddidit, etiam rexit  
dexteram. Ex Io. Patri. Hier.

Nostram